

ma convenienter omnem disciplinam disponendi sit ipsa naturalis rerum natura? quod affirmat Piccolomineus; an nostra cognitio melior & facilior? quod docuit Zabarella.

15. Ultra patet prior quaestio, si posterior recte est determinata. Quid autem in ea metuendum sit, facile constabit, si observatur, ordinem, de quo sollicitus est didacticus, & quem doctrinae seu cognitionis vocamus, non esse instrumentum, ad rerum generationem aliquid conferens: jam enim illis ordo à natura ipsa constitutus est; sed esse instrumentum discendi ad id excogitatum, ut faciliorem reddat disciplinam, totumque ad cognitionem faciliorem referri. Adeptio enim perfecta & distincta, quam unice ordine accurato quaerimus, est prima ratio ordinis. Alioquin si à naturali rerum ordine semper sumendus esset ordo, nullus alius esset, nisi syntheticus, quia in omnibus simplicia & principia sunt natura priora; aut quum ordo naturae alius sit generationis, ubi simplicia, ut animal, priora sunt compositis, ut homine; alius perfectionis seu scopi & intentionis naturae, ubi composita, ut homo, priora sunt simplicibus, ut animali; aut semper perplexi erimus, quo ordine scientia tradi debeat, aut dicere cogemur, scientiam posse arbitrato nostro utrovis ordine tradi, quod jam antea absurdum esse diximus.

16. Contingit quidem saepe, ut eadem scientia, ordinem & naturae & melioris cognitionis servet, ut cum ab universalibus & principiis progredimur, sed tunc non ideo servatur ordo naturae, quia sic procedit natura, & quia principia sunt natura priora: sed quia tunc principia essendi & cognoscendi coincidunt, & causae, à quibus natura ipsa facit initium, sunt etiam nobis causae demonstrativae. Et hoc ita verum est, ut semper ordo naturae negligatur, quoties melius docetur ordine cognitionis nostrae. A notis enim incipimus, non considerantes, an sint rei principia, nec ne.

17. Omnis igitur ordo, qui inservit non tam confusae, quam distinctae cognitioni, est processus à notioribus: quae si simul sunt causa, & ad cognitionem alterius, ut causa, conferunt, subest simul methodus demonstrativa, in qua non tantum est dispositio rerum, sed & illatio & argumentatio. Si autem ea, quae sunt nobis notiora, non conferunt, ut causa, ad cognitionem alterius, sed vel ut utile, vel ut necessarium, etsi inde nihil infertur, tamen praeponi debent. Sic genus prius docetur, quam species; animalis prius natura, quam hominis vel stirpis: quia

B

homo